



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Controversiarvm Praecipvarvm In comitiis
Ratisponensibus tractataru[m], & quibus nunc
potissimu[m] exagitur Christi fides & religio, diligens, &
luculenta explicatio**

Pighius, Albertus

Parisiis, 1549

Albertvs Pighivs Christiano Lectori in Christo. S.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29467

ALBERTVS PI- GHIVS CHRISTIANO

Lectori in Chri-
sto. S.



T extra omnem cōtrouersiam, nul-
lam esse tam barbaram nationem,
nullam gentem tam efferatam, cui
non diuinitatis quidā, ac numinis
sensus instinctu naturā infederit:
nullam proinde ab ipso mundi ini-
tio regionem, nullam urbem, nullā
domū reperiri, quæ religione pror-
sus caruerit, atque ea, velut tacita
confessione, diuinitatis non vllum

sensum prodiderit. Quem & in ipsa idololatria prodiderunt
homines, qui etiam ligno & lapidi colendo se maluerunt de-
mittere, quā nullum deum videri habere. Vt etiā & hoc ex-
tra controuersiam est, nulla re, quam efficaci religione, atque
eius vnitate, quamuis falsa, in vnus corporis societatem con-
ciliari, contineri que liberos homines: nihil eos magis separa-
re, & contra se diuidere, quā in religione dissidium, pugnā,
& discordiam. Ita & hoc extra controuersiam sit oportet,
nihil esse posse vtilius humano generi, nihil magis necessariū
in eius synceritate concordia: qua, non solū paratur, & cōser-
uatur pax inter homines, sed etiam hominum erga deum pax
constat, & ad vitam illam beatam, immortalemque nobis est
aditus. Quæ cū præcipue pendeat ex vnitate synceræ atque
orthodoxæ fidei, nihil egit ab initio hostis ille humani gene-
ris diligentius, ac maiori studio, quā ut eam quoquo modo
corrumpere: in eā introduceret quæstiones & cōtrouersias:
& vnū hac, alterum illac, quaqua persuasione illiceret, & ab-
duceret ab vnitate orthodoxæ & catholicæ fidei, ab illo cor-
pore ad quod congregantur illæ aquilæ, in quo solo est Chri-
stus, via ad salutem, vita, & veritas in desertum, in aliquos an-
gulos, in singularitatem & nouitatem aliquam, Aduersus cu-

EPISTOLA

ius insidias, tamen si suos, & cautos, & saluari antidoto satius
 praeunitorum Christus reddiderit: nempe, ut obturemus aures
 velut ad vocem incantantium, nouae alicuius doctrinae pro-
 fessoribus: illis non credamus, etiam si respondere non possimus
 eorum argumentis & rationibus: non exeamus extra septa o-
 uilis sui, non separemur ab illo corpore, sed firmiter in eo nos
 contineamus, etiam qualiscunque nobis diuersa, quae ingeri-
 tur, ostentatur, & docetur doctrina, appareat. Inuenit tamen
 ille semper aliquos, salutaris illius praemonitionis, & doctrinae
 Christi parum memores, quos seduceret: variis ad hoc instru-
 mentis abusus & artibus. Nunc pseudoprophetarum suorum vi-
 ra seueritate, & simulata sanctimonia: quae facile perstringit
 imperitorum, & simplicium animas, sibi que apud illos autho-
 ritatem facit, & in se insinuat: nunc etiam singulari erudi-
 tione, eloquentia, & scripturarum peritia, & quibus magna
 probabilitate aduersus catholicam fidei veritatem, ac simpli-
 citatem, inducebant testimonia: & venena sua, magno artificio
 repta, & calata sub aromate eloquiorum caelestium propina-
 bant incautis. At nunquam ab initio, nescio qua fatali animo-
 rum ad nouitates propensione, qua pastorum foecordia ac ne-
 gligentia, quam nunc, messem facit tam uberem: nunquam sim-
 plicius, minore cum negotio, & artificio. Neque enim sunt
 admodum artificiosi impostores, per quos tantum negotium
 aggressus, tanto successu perfecit: siue vitam eorum, siue eru-
 ditione & literarum peritiam spectes. Neque enim in illa, ne-
 que in hac, quicquam admiratione dignum est cernere, quicquam
 quod vlli merito possit imponere: ut mihi mirum videatur,
 tam multos viros principes, optimates, prudentes alioqui, gra-
 ues, & cordatos, tam multas insignes ciuitates, & respublicas
 abduci ab illis potuisse. Ne tamen hic ignem, quod dicitur,
 fodiamus gladio, sed contra potius, Christiana nobis mutuo
 occurramus charitate & modestia, quomodocunque demum,
 & quocumque malo genio haec pugnae, haec dissidia, in fide ac
 religione in ecclesiam introierunt, per viscera redemptoris
 nostri Christi Iesu, atque eius preciosum sanguinem, obsecro
 & obtestor omnes, ne salutem suam tam vilem habeant, ut eam
 permittant quibuslibet, qui suum forte in his turbis agunt ne-
 gocium. Neque enim de re parua, aut negligenda, non de for-
 tunis, non de ditionibus, non de vita corporali, sed de aeter-
 na salute, aut damnatione agitur. Ipsi per se controuersias vni-
 uersas

uer
 cur
 cum
 bet
 rem
 mau
 Car
 ligi
 stud
 quo
 pra
 quo
 dita
 poss
 con
 taso
 rum
 & q
 ver
 cor
 gere
 inte
 & a
 dum
 cred
 nec
 ri vi
 re: ob
 blica
 falte
 ratic
 quij
 nec
 ficiu
 singu
 capit
 anno
 rii pr
 collo
 scan

uersas

AD LECTOREM.

uerfas, quæ inter illos & nos sunt, expendant diligentius, & curent intelligere: neque ita simpliciter credant, quæ ipsis dicuntur à suis illis mystis & doctoribus. Res enim longe habet aliter: & dedimus operam ut quiuis orthodoxam veritatem per singulas facile posset intelligere. Ad quod nos animauit, primum piiss. ac religiosiss. principum nostrorum, Imp. Caroli, & Ferdinandi Cæsaris, pro reparanda vnitatis fidei, religionis sinceritate, & Christiana pace in ecclesia, singulare studium. Deinde etiam spes, quam non exiguam, diuersæ quoque à nobis fidei principes, optimates, statimque de se præbuerunt: expectantes indici Christianum colloquium, in quo utrinque docti aliquot colloquuturi inter se (si forte red dita acceptaque mutuo ratione suæ sententiæ, convenire possent in catholicam Christianamque fidei concordiam) convenirent Vuormatiam: eo ipso satis contestantes, se pertractos iam dudum istarum controuersiarum, (quæ magna rerum atque ordinum omnium confusione vigent in ecclesia, & quas in publicam pernitiem Christianæ Reipubl. palam vergere nemo non intelligit) Christianæ adhuc pacis & concordie se esse percupidos, & orthodoxam veritatem intelligere, & sequi. accessit his, quod & ego Vuormatiæ existens inter conuocatos ceteros, aduersaria doctrinæ præconum, & antistitum vocibus aliquot iactari præsentiscerem, se iam dudum reddidisse orbi rationem suæ fidei, quam certo veram crederent: à qua, nisi certiori ratione accepta, nec possent, nec vellent recedere, id quod & scriptis suis palam contestari videntur, atque eam etiam rationem, à nobis orbem exigere: ob plerisque multos toto orbe terrarum, quibus hæc publica, tanto tempore perdurans, de fide pugna & concertatio saltem dubitationes & scrupulos in fide iniicit. Quibus ego rationibus permotus, & quoniam non magnum illius colloquii fructum perspiciebam fore, ob plerisque quæ non est necesse ascribere, ne qua parte meum in ecclesiam cessaret officium, hanc ipse mihi desumpsi prouinciam, ut summam singula pertractarem controuersiarum quæ inter nos sunt, capita, iuxta ordinem confessionis fidei illorum, quam ante annos aliquot Augustæ exhibuerunt Imperatori, & imperii proceribus, inde sperans certiore fructu, quam ex omni colloquio, peruenturum, non solum ad absentes toto orbe scandalizatos, & non nihil hæsitantes ex his publicis de fi-

EPISTOLA AD LECTOREM.

de concertationibus, sed etiam apud posteros. Qua tamen
in re, non tam eruditioni, quam causæ nostræ confisus sum
atque illius adiutorio, cuius causa agitur. Hoc tamen quo
quorem nobis te præbeas Lector, oro te ut perpetuo mem
neris, procul domo libris rebusque familiaribus, peregre
apparatu prociñctūque, viatico, tempore exiguo, quò ser
remus temporibus hæc lucubrata à nobis: imò, priores duas
pe, de peccato originis, & de fide, operibus & iustificatione
hominis controuersias, inter imprimendum elaborauimus,
ut non potuerimus, antequam iam prodissent, earum
conferre cum sine principium. Spero tamè in Christo, quo
laboris tui non pœnitebit, si vno has veritatis studio legere
Datum Coloniae Nonis Ianuarij, Anno à nato Salvatore.
M. D. XLII.